



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 173. Neo-electi Pontificis dotes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tis functo, singulis se procul dubio futurum Pontificem affirmabat, sed nonnihil tanquam senex delirare credebatur.

Sæcul. XV.

A.C. 1455.

§. CLXXII.

*Callisti III. nomen adoptat.*

Igitur celebrato Sacro de Spiritu Sancto, initium datum est scrutinio, cumque solus omnium suffragia tulisset, die octava Aprilis Cardinales de more eum summum Pontificem sub Callisti III. nomine venerati sunt, Cardinale primo Diacono illius electionem populo confestim annuntiante. In Cathedra ad Basilicam sancti Petri delatus, persolutis coram sanctissimo Altaris Sacramento precibus, super aram SS. Apostolorum sedit, ubi omnes Cardinales accesserunt, ejusdem pedes osculaturi. Inde ad suum deferabatur Palatium, & quosdam articulos triduo ante electionem suam a sacro Collegio decretos, jurejurando firmavit. Quibus peractis singuli ad sua reversi sunt.

§. CLXXIII.

*Neo-electi Pontificis dotes.*

Die vigesima Aprilis neo-electus Papa consuetis solemnibus suæ Coronationis insignia suscepit. Jam in *vigesimo sexto* Historiæ nostræ tomo vidimus, quod is olim in extinguendo schismate Munionis,

Sæcul. XV.  
A. C. 1455. nis, qui Petri de Luna successor erat, e-  
gregiam navaverit operam, id jubente  
Alphonso Arragoniæ Rege, cui tum a  
secretis erat. Cum adhuc Canonicus  
esse, Ilerdensis, atque Juris utriusque Do-  
ctor, a Martino V. ad Episcopatum Va-  
lentinum euectus, in Italiam venit, ubi  
Eugenio IV. Pontifici insignia prudentiæ  
suæ specimina dedit, cum diffidium feli-  
citer dirimeret, quod Papam inter, &  
Alphonsum Regem vigeat propter Re-  
gnum Neapolitanum; hinc ab eodem  
creatus est Cardinalis Presbyter titulo  
SS. quatuor Coronatorum. Platina de  
eo testatur, quod in dicendis in Senatu sen-  
tentiis ita gravis habitus fuerit, ut nihil un-  
quam per adulationem, & gratiam locutus  
sit, additque Ciaconius, quod nunquam,  
cum Episcopus aut Cardinalis esset, be-  
neficio aliquod in commendam acce-  
ptare voluerit, dicens, se una sponsa, &  
quidem Virgine contentum vivere,  
id est, Ecclesia sua Valentina. Susce-  
pto vix Pontificatu primas eo curas in-  
tendit, ut Prædecessoris sui Vota feliciter  
compleret; hinc omnibus Sacræ Crucia-  
tæ militibus indulgentias concessit, atque  
Legatos suos in Franciam, & Hungariam  
decrevit, qui auxilia contra Turcas impe-  
trarent.

*Platin. in  
Vita Calixt.  
III.*

*Giacon. ibid.*

§. CLXXIV.